



AD LECTOREM.

NUPER in Epilogo meæ Pentadis Consiliorum, si-
 ve Responsorum Juris in Constitutiones Maximi
 istius Romanorū Imperatoris, CAROLI V. trium-
 phalis memoriæ Monarchæ Criminales Com-
 mentariolum brevissimum, siue Annotationes, Remissiones, &
 practicas promisi Observationes. Promissum igitur, adistente
 Spiritus sancti gratiâ, servabo, cum cadat in debitum, & aliàs bo-
 nus vir non essem, si non conarer præstare, quod sanctè pollici-
 tus. Ais, me post *Homerum* scribere *Iliada*, vel post *Nicolaum Vige-
 lium*, *Georgium Remum in Paraphrasi*, quam *Melchior Goldastus* tomo
ult. Const. Imper. refert, p. 518. usq. ad p. 566. inclusivè, *Goblerum Consti-
 tutiones criminales cum jure communi collatas*, notisq. brevissimis illu-
 stratas, & editas *Frankofurti typis viduæ Matthiæ Beckeri*, Anno
MDCXIV. *Bernhardum Zieritzium*, *Matthiam Stephanum* com-
 mentariolum in criminales sanctiones? Vide Catalogum eo-
 rum, qui de criminibus scripserunt, apud *Conrad Rittershus.* in *ju-
 re Iustiniano*, part. 12. c. 1. n. 2. & ego iis plures addere possem, si ar-
 tis & ingenii esset, quàm est *Homericus Græcarū navium*. Cre-
 deres forsân *Syllanam tabulam*, vel novum *Xerxem* incubare
Græciæ. Ex animi medullis autem optarem, ut venerandus ille
Senex, & *Jubilatus Jctus Dn. Henricus Bocerus*, Præceptor olim
 meus honorandus, lucubrationes suas ederet in Constitutiones
 Augustissimi Imp. CAROLI V. iis Reipubl. literariæ, ut omni-
 bus suis ante hæc editis operibus maximâ cum laude profuit;
 ita adhuc prodesse posset, & *Prosper. Farinacius in criminalibus* se
 virum præstitit. Sit ita, ut est. Nemo unquam jure reprehensus,
 qui à segete ad spicilegium reliquit stipulam, & propter avium
 multitudinem rustici sationem nō intermittunt. Et singulis an-
 nis novæ scribuntur *Postillæ*. Inventa etiam inveniendis nō ob-
 stant,